

Circa eadem fere Pyrrhonii versantur, et Megarici, et Eretrici, et Academici: qui novam duxerunt scientiam, nihil scire. Haec omnia in illum supervacuum studiorum liberalium gregem conjice. Illi mihi non profuturam scientiam tradunt, hi spem omnis scientiae eripiunt: satius est supervacua scire, quam nihil. Illi non praeferunt lumen, per quod acies dirigatur ad verum: hi oculos mihi effodiunt. Si Protagorae credo, nihil in rerum natura est, nisi dubium: si Nausiphani, hoc unum certum est, nihil esse certi: si Parmenidi, nihil est praeter unum: si Zenoni, ne unum quidem. Quid ergo nos sumus? Quid ista, quae nos circumstant, alunt, sustinent? Tota rerum natura umbra est, aut inanis, aut fallax. Non facile dixerim, utrum magis irascar illis, qui nos nihil scire voluerunt: an illis, qui nec hoc quidem nobis reliquerunt, nihil scire.

Acad. poster. 1. C. 5. Fuit jam accepta a Platone philosophandi ratio triplex: una, de vita et moribus; altera, de natura et rebus occultis; tertia, de disserendo, et quid verum, quid falsum, quid rectum in oratione pravumve, quid consentiens sit, quid repugnet judicando.

Acad. poster. 1. C. 4. Socrates videtur, id quod constat inter omnes, primus a rebus occultis, et ab ipsa natura involutis, in quibus omnes ante eum philosophi occupati fuerunt, avocavisse philosophiam, et ad vitam communem adduxisse: ut de virtutibus et vitiis, omninoque de bonis rebus et malis quaereret; coelestia autem vel procul esse a nostra cognitione censeret, vel, si maxime cognita essent, nihil tamen ad bene vivendum.